


CARMEN APOBATERION SIMVL ET EPIBATERION, SCRIPTVM IN DISCESSUM & REDITUM à DEMETRIO FABRICIO ZIKZAI, è celeberrima Academia Vitebergensi in Vngariam redeunte, 6. die Aug.

1 5 6 3.



VVITEBERGÆ

EXCVDEBAT IACOBVS
Lucius Transylvanus Anno

1 5 6 3.

Hospes arenoso redeo diuturnus ab Albi,
Pannonici repetens tecta paterna soli,
Desero Leucoridos resonantia fluctibus antra,
In quibus Aonidum stat genialis honos.
Vos, mihi perpetuo quæ iuncta fuistis amore,
Docta sodalitiū membra ualete mei.
Vt carui patria, Arctos dimissus ad oras,
Hic mihi terq; æstas bisq; cucurrit hyems.
Tunc ubi perplacuit summos tolerare labores.
Musica quos doctis castra dedere uiris.
Vix licet ipse animam potui subducere morti,
Quando peregrini tot fero damna soli.
Ac ubi me cæpit peregrinum huc ducere cœlum,
Albiacam & subij languidus ipse scholam:
Hoc iter à patrijs emensum sedibus, æstu
Torserat Icarij stella proterua canis.
Nunc quoq; cū patrias reuocatus uertor ad oras,
Sirius arentes non minus urget agros.
Multaq; me circumuenient incommoda, largè
Hoc mihi quæ præceps conciliabit iter.
Præter enim caros quos hic nunc linquo sodales,
Quos inter studiij fertilis usus erat.
Desero Naucleros rerum morumq; peritos,
Sicq; cadent Musæ flumina larga meæ.
Dumq; paro reditum, luctuq; doloreq; carus
Cœtus amicorum, carmina plena sonat:
Vt me penè pñ possint retinere sodales,
Thespiadumq; sacro continuisse choro.
Sed fatis nil obstat, abest & causa manendi,
In patrium retrahor per pia uota solum.

Ergo tuas sectatus opes Viteberga mouente
 Qui fueram, patriam te uocitare uolo.
 Ut tibi discedens dicam ex pietate salutem,
 His quoq̄, quos cingit clara corona, uiris.
 Nam licet augustis paruum hinc de fontibus haussit,
 Ingenij cum sit tardior aura mei:
 Non dubito tamen hoc quod paruum est, uisibus
 Fœnora centeni reddere posse boni. (amplis,
 Condita quæ memori durabunt pectore dona,
 Tunc quoq̄ cum corpus puluis eritq̄ cinis.
 Ac nunc dum ueteris patriæ bona rura capeffo,
 Tunc me bis natum non sine fruge reor.
 Nam multo meliora mea hinc Natalia cerno,
 Artis & ætatis quod bona plura fero.
 Vulgus habet, nobis Natalia qualia confert
 Patria, & obſcura nomina laude gerunt.
 Hinc ego mente diu memoriq̄ pioq̄ manebo,
 Officij nec erit gratia furda tui.
 Namq̄ hinc inueni quod patria terra negabat,
 Doctrinæ eximium cum pietate decus.
 Ac cœlum quod ibi fuerat statione remotum,
 Illud in hoc potui conciliare loco.
 Huic igitur meritas grates ubicunq̄ licebit,
 Gratus inoblito pectore semper agam.
 Doctorum & summæ per maximâ uota coronæ,
 Iam benè pro merito commoda mille precor.
 Hæc ego sed grato perago dum pectore, caræ
 Et patriæ sancta rura salute petam.
 Huic quoq̄ me quoniam multum debere fatebor,
 Illa dabit Musis quod loca tota meis.

NEC MINIMA QUONDAM COGNOUÏ LAUDE FAUOREM
Nobilium, quorum maxima cura fui.
Illis ut gratum hoc studium redditumq; putarim,
Quod trahit hos studij curaq; spesq; mei.
Eia age quanta fluent è pectore gaudia læto,
Pannoniæ ad tepidos sospes ut ibo focos.
Has simul ante sacras ubi lucem hæc hausimus aras,
Aëraq; exiles qui dedit ore sonos.
Ista dies fuerit niueo signanda lapillo,
Natalem poterit nam memorare meum.
Atq; ubi Zikzouiæ fines iustrabimus almæ,
Purpureus larga quam rigat annis aqua.
Tunc & Iula suis fuerit spectanda triumphis,
Quam geminis cingit Chrysius annis aquis.
Nam Mæcenates studij morumq; meorum,
Hic summa robur sedis in arce tenent.
Tempora iam Titan repetitis finit annis
Quinq; suo cum me fouit Iula sinu.
Tunc mihi cum munus puerilia corda docendi
Tradidit, & doctæ iusq; decusq; scholæ.
Et benè habet, quoniam peregrinam uisere terram
Dum datur, uberior tunc mihi fructus adest.
Diues Iula uagum nam me transmisit ad Albim,
Proq; meis Musis officiosa fuit.
Dum facili se bis cursu conuerteret annus,
Atq; tribus menses adderet ille duos.
Ac benè Ladillaë tuos cantamus honores,
Qui Chereceniaci nominis arma geris,
Magnificumq; tenens titulum, regis arcis Iulæ
Mœnia, telluris pondere plena grauis.

Iã tibi magnus honos princeps celebrãde paratur
 Arctoas implens Armeniasq; plagas.
 Ipse tuos iuuenes doctrina dirigit æqua,
 Sumptibus & doctos uis onerare uiros.
 Consilio ut patriam et propugnes fortibus armis,
 Quæ reddunt Turcis tot mala Caucaeis.
 Post etiam magnum mihi præstitit inclyta munus
 Nobilitas, studij summa columna mei,
 Hæc, quam clara bonis uirtutibus ornat Iula,
 Cum populì magno robore Chryste tui.
 Proxima laus Emerice tibi soluenda putatur,
 Gloria Massensi cui fauet ampla uiro.
 Quod uersus dudum lectu dignatus es illos,
 Quos nos arte rudi scripsimus antè tibi.
 Et nunc surgentis non dedignare Camænæ,
 Iam mage purgatum mente fouere stylum.
 Te Varadina pio candore palatia seruant,
 Quæ quoq; ritè secat Chrysius amne suo.
 Sed doctè nostram modò describamus Iulam,
 Illa sit ut multis cognita terra locis.
 Hanc in planicie mediã reor ipse iacere
 Hungariæ, ad campos inclyta Buda tuos.
 Qua niger ac albus fuluas quatit amnis arenas
 Chrysius, ac urbis cingit utrumq; latus.
 Quin & in hac arx est constructa potentius urbe,
 Quàm quæ sit summis condita forte iugis.
 Fortis Iula locum hunc olim fundauit apertum,
 Qui gente è Scythica dux oriundus erat.
 Hic Cereris paruo, Bacchi quoq; munera dantur,
 Nil ibi quod foueat corporis arma, deest.

Sī quid enim Barona ferax & Macra ministrat,
Id totum largè diues Iula capit.

Nec tamen illa suo fructu caret, humida tellus,
Hic segetem cultu fertilior creat.

Est & inaccessa, ac homines tutò inuia seruat,
Vicinos duplices nec sine clade tenet.

Nam uelut ad Boream fratres circūspicit Hunnos,
Quorum perpetua gaudet amicitia,

Auster habet Turcas sic magna clade furentes,
Nequitiam quorum non fouet iste locus.

Hic locus est in quo genitabilis aura recurrit,
Et uirtute sua corpora sana tenet.

Est quoq; natura locus hic munitus & arte,
Militibus tutum præbet & ipse torum.

Nam fossa & murus per latum condita campum,
Et rapidum flumen roborat urbis opus.

Et magis antiquis talis structura placebat,
Quàm quæ stat summis ædificata iugis.

Nam licet ex alto quis pluribus obruat armis,
Detectos hostes missilibusq; petat.

Plura locis tamen in planis sunt commoda, quando
Est facilis multis exitus ordinibus.

Ac benè terreno non cinctos aggere, lædunt
Hi qui è munitis arma tulere locis.

Extet Iula suis latè quoq; splendida syluis,
Et tenet undosum culta uireta solum.

Hic sunt frugiferi colles, fontesq; sonantes,
Sunt horti apricis floribus irrigui.

Stant ædes sursum, cum templis porticus altis
Plurima, magnificis est fabricata modis.

Ergo antiqua uiget iam multis nobilis annis,
 Aëris atq; cibi est prospera uita comes.
 Præsidij fuerit libertas finis habendus,
 Ornatus summi terminus, alma quies.
 Egregia est uirtus in ciuibus, est labor ingens
 Horum quos gremio seruat lula suo.
 Hisq; innata uiris lucet sincera uenustas,
 Quam cibus & potus commoditate parant.
 Nec tamen hi uera, quæ rerum roboret usus,
 In placidis animis, asperitate carent.
 Hic matronarum lux est spectabilis, hincq;
 Virgineus roseo fulget amore chorus.
 Qualis apud fortes narratur Pæonas olim,
 Et qualem Latium Spartaq; clara tulit.
 Atq; urbs militibus densata potentibus ardet,
 Hic crescit Martis feruida cura feri.
 Est etiam populus doctrinæ addictus honestæ,
 In mercatura sedulus estq; bona.
 Legibus est iunctus iustis, & moribus almis,
 Exercent ritus ex pietate bonos.
 Sæpe suis præbent spectanda trophæa triumphis,
 Et belli capiunt uota benigna sui.
 Hoc quoq; nuper erat, cum bini, Turcus & Hunz
 Armata cupiunt bella mouere manu, (nus
 Procedunt, fortemq; suum quisq; excipit hostem,
 Sanguinea resonant bella nefanda tuba.
 Donec bis fenos cuncti emisere cientes
 Prælia, Pannonicis prosperiora uiris.
 Quæ patriæ in laudem claris uulgata triumphis,
 Turcarum cautos impediere dolos,

Hic igitur Mars, hic pietas, hic pax bona regnat
Hic etiam hospitij cura benigna uiget.
Subdita plebs animo non fracto cuncta ministrat
A hostem contra tela inimica parat.
Urbs generosa uale, sublimes redde triumphos,
Atque Ducem Christum noueris esse tuum.
Ardua conflat is ad propugnacula bellis,
Pro neruis patriæ, facta canenda moue.
Utque soles Turcas arcere potenter atroces,
Cum uirtute tuus sic celebretur honos.
En ego Musarum quate duce castra frequento,
Non cesso laudes notificare tuas.
Et iam uota! Deo patriæque nouissima reddens,
Aggrediar patriam per mala multa uiam.
Vos quibus hanc urbem linquo comitantibus, illud
Sumite, perpetui carmen amoris erit.
Nosque uiatores propter, uos Numinis alti
Inuictam placidè sollicitetis opem,

A M E N.

